



*Vir Maxime Reverende,*

**M**Ajori olim in pretio, apud illustriores etiam, præmia academica fuisse temporum tribuent infelicitati, quotquot reliquiis Papatu illos honores accensent. Equidem jure telum, quod novatores in orthodoxos vibrant, in eos retorqueri posse arbitror. Non enim majori jure papizantes haberi possunt, qui Pontificiorum institutis quibusdam inhærent, quam hæreticorum nomine haberi malunt, qui aliqua solum cum iis servant communia. Aerem sane feriunt qui iniquitatem rituum & absurditatem eorum demonstraturi præter originem a scholasticis petendam & in medio ævo figendam non habent quod objiciant. Servamus merito academias quamvis in seculis sequioribus formatas. Servamus præmia studiorum licet a scholasticis instituta. Quæ passim accesserunt incongrua, incommoda & abusus a primorum conditorum abludunt scopo, neque a veris rerum æstimatoribus ipsis institutis sed perversis eorum executoribus tribuuntur jure. Itaque vitio verti cum nequeat viris in dignitate eximia constitutis studiis animum dicavisse, nec dedecori fuerit honores eruditionis testes quæsisse. Infelicius pronuncio seculum hodiernum, quo illustriores a studio theologico alieni deprehenduntur, illudque vilescere suo exemplo patiuntur. Interim non potest non esse jucunda præteritorum temporum recordatio, quæ adamata magis sacra studia etiam nobiliori sanguine prognatis fuisse indicant. Renovandi hujus felicitatis memoriam Tu, Cognate Optime, ansam dedisti, occasionem præbuiisti. Applaudentibus singulis Bonificium primum, saltem ex primis, Saxonum stitisti Apostolum. Liceat mihi ex primis Theologiæ promotis doctoribus, iisque Saxonibus ortu,

A 2

tres